



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. CXXXIX. Romana donationis de Andosillis. De eadem materia ordinandi, vel prorogandi fideicommissum, sive aliud onus adjiciendi in bonis propriis illius qui honoratur; Et in specie, An donator ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

minus & absque dubio, ubi agitur de interesse primario, in quo filii ac descendentes dicuntur principales donatarii, cum tunc non solum in huiusmodi donationibus contemplatione matrimonii habentibus aliquid magis speciale, sed in quibuscumque aliis indifferentibus, gesta per primum donatarium aliis præjudicare non valeant juxta firmata in *Romana donationis de Andosilla, de qua infra disc. immediatè sequenti, & passim.*

Et quamvis in ipsis capitulis matrimonialibus, in quibus totum fundamentum ex hac parte constituebatur, contineretur expressa facultas adiciendi in instrumento postea celebrando substitutiones & vincula, Dicebamus tamen ego & alii pro ista parte scribentes, ac Rota in hujus causæ decisionibus admittit, talem facultatem percipere casum, quo matrimonium solveretur per mortem sponsi sine filiis, ut aliqua capitulorum verba denotare videbantur, ideoque facultas prædicta operari non poterat ultra casum expressum; Quinimò quod per argumentum à contrario sensu, in casu existentie filiorum, ita potius conventum esset de libertate, dictæque facultatis exclusionem, ex iis, quæ à simili doctrina *art. in l. post dotem numer. 27. ff. solut. matrim. & aliis habentur apud Surd. cons. 206. num. 23 & The-saur. decis. 237. num. 11.*

Et ulterius, quod quando etiam dicta facultas complecti deberet casum, quod filii extarent, intelligenda veniret intra ipsum genus vocatum ipsorum filiorum, in quibus terminis loquuntur *Molin. de ritu nuptiarum lib. 3. quest. 24. n. 295. & sequen. Cusell. de donat. tract. 2. disc. 1. special. 7. à n. 27. ad 31. pu-ta quod inter ipsos filios & descendentes servari deberet ordo prælationis inter sexum masculinum & femininum, sive etiam quod præcriberetur ordo primogenituræ, qui aliàs absque dicta reservatione ex intervallo præscribi non posset cum similibus, non autem, quod licitum esset eisdem filios ac descendentes gravare ad favorem extraneorum, facultas enim disponendi intra certum genus, infra illud tantum est exercibilis, sed egredi non potest, ex iis quæ habentur apud *Burratt. decis. 744. num. 9. & 10. cum aliis in Firmiana primogenituræ disc. 33.**

Agnoscentes alterius partis defensores vim motivi, verè solidi, ac irrefragabilis, quatenus dicta reservatio ita restricta esset, confugebant ad motivum insinuatum in *Romana primogenituræ de Cardellis disc. 135.*, quod scilicet capitula matrimonialia non continerent donationem perfectam, sed simplicem promissionem de donando, cumque non haberent juramentum, minusque explicitam stipulationem Notarii, vel implicitam contentam in obligatione camerale, de plano intrare dicebant regulam textus in *l. quoties Cod. de donat. qua sub mod. ad theor. Bart. ibidem. plenè reassumptam per Decian. cons. 7. num. 112. lib. 1. Rovit. decis. 89. Fab. de Ann. cons. 32. num. 1.* cum aliis de quibus supra dicto disc. 135., & sic quod de consensu sponsi primi donatarii id fieri potuerit, dum filiis nascituris jus quæsitum adhuc non esset ob carentiam stipulationis pro eis.

Illud motivum ita simpliciter, ac de se consideratum, reflectendo etiam ad veritatem, nullam habebat substantiam, ideoque meritò in decisionibus rejectum fuit; Quatenus enim pertinet ad primam partem, quod non ageretur de donatione perfecta, sed de simplici promissione de donando, ut in præcedentibus advertitur, iste punctus videtur hodie jam sopitus per magistralem decisionem in *Rom. donationis de Castellanis coram Caccino dec. 58. par. 6. rec. passim receptam.* quod scilicet aliqua difficultas

Cardin. Luca de Fideicom,

cas cadere potest quoad translationem domini bonorum, quæ medio tempore inter promissionem & actum perficientem ad alterius favorem facta essent, Secus autem quoad ipsum promittentem pro facultate paritendi seu aliàs minuendi jus promissario quæsitum; Et quoad defectum stipulationis, illa adesse videbatur, stante verbo, *promissi*, quod eam importat ex deductis apud *Burratt. dec. 149. n. 3. decis. 373. num. 7. & decis. 788. n. 2. Rot. decis. 7. par. 7. rec. nu. 7.*, atque dum dictum verbum prolatum erat cum sponso primo donatario, qui promissionem non acceptaverat, ista sufficit pro illis nascituris, pro quibus pater rectè stipulatur, ut cæteris relatis firmatur *dec. 40 p. 9. rec. n. 20. & seq. & per rot. repetit. post Zach. de oblig. Camer. decis. 189 & in aliis, de quibus in hujus causæ decisionibus.*

Quamvis autem illud motivum verè ita sublatum remaneret, adhuc tamen mihi supererat non levis difficultas circa dictum intellectum attributum reservatæ facultati adiciendi substitutiones, quod scilicet restricta esset intra ipsum genus filiorum, nam licet aliqua verba capitulorum id præferre videantur, attamen tenta regula, de qua frequenter in præcedentibus ac subsequenter, attendendi magis substantiam voluntatis quam corticem & figuram verborum, & quæ regula non solum vera & recepta est in ultimis voluntatibus, sed etiam in actibus inter vivos, ex deduct. per *Mantic. de Tac lib. 2. tit. 7. num. 1. & 2. cum seqq. Burratt. decis. 113. num. 7. Merlin. decis. 692. num. 46 Romana fidei-jussiois 24. Maij 1660. Verusio, & frequenter.*

Attenta verò substantia veritatis, nimum probabile videbatur, quod id ab initio fuisset in intentione donatoris, dum in subsequenti instrumento non solum intervenit, atque consensum præstitit ipse sponsus primus donatarius, sed etiam intervernerunt pater seu fratres sponsæ, qui dici solent intercessari pro filiis procreandis in huiusmodi donationibus, qui verisimiliter talem consensum præjudicalem non dedissent, nisi talis ab initio fuisset tractatus, ac intentio donatoris dictis intercessariis insinuata, Accedente etiam secunda donatione post dissolutum matrimonium facta eisdem filiis cum repetitione ejusdem oneris, ex quo actu duo resultant, Primò adminiculum dictæ voluntatis ab initio habitæ; Et secundò quod conferre possent ea quæ habentur *disc. seq. super adiectione oneris adjecti super bonis contentis in prima donatione intuitu augmenti facti per secundam, ideoque huiusmodi difficultates, nè dum libenter consului concordiam, sed in ea aliquam habui cooperationem, cum reflectendo ad veritatem, mihi aliqua superesset occasio dubitandi de iuribus Monasterii post mortem Monialis, cujus tamen vita durante, jus ejusdem Monasterii erat indubitatum.*

## ROMANA DONATIONIS DE ANDOSILLIS.

*Consilium pro veritate.*

De eadem materia ordinandi, vel pro-  
rogandi fideicommissum, sive aliud  
onus adiciendi in bonis propriis  
Ee 3 illius

illius qui honoratur; Et in specie, An donator ex intervallo adjiciat onera in bonis donatis ob augmentum aliorum bonorum; Et quatenus ille qui honoratur secundam dispositionem acceptare non possit cum tali onere ex defectu consensus, puta quia pupillus &c., An talis consensus suppleri possit ac debeat per judicem & tutorem.

## S Y M M A R I U M.

- 1 **F** Acti series.
- 2 **Q**uod donator non possit ex intervallo adjicere nova onera & substitutiones.
- 3 **Q**uod possit ille qui honorat gravare honoratum etiam in ejus bonis propriis.
- 4 **D**annmodo onus sit proportionatum commodo & non utilitati.
- 5 **V**bi talis dispositio cum onere in bonis propriis non potest acceptari ab honorato quia pupillus, debet acceptari a tutore, & approbati a iudice.
- 6 **Q**uando dicatur actus pupillo proficiuus & an prejudicium venientium ab intestato sit considerabile.
- 7 **M**ulta in jure conceduntur donatori, quae aliis denegantur etiam substituendi pupillariter.
- 8 **S**i gravatus acceptet secundam dispositionem per quam prima dispositioni nova onera adjiciantur, an id afficiat successores venientes jure proprio.

## D I S C. CXXXIX.

**C**um juxta seriem, de qua in hac eadem causa sub tit. de feudis ad materiam Bullae Baronum disc. 8r., Insignis I. C., alias primi nominis Advocatus, ac postea utriusque Signat. Decanus Angelus Andollia, in Advocatione, seu in modo scribendi stricto concisoque stylo magister meus, plures diversis temporibus donationes fecisset Raphaeli ex fratre nepoti, ipso superflite defuncto, relictis Angelo, & Portia filii in infantili aetate constitutis, ipse autem donator, quamvis doctissimus agnosceret quod fideicommissum in eisdem donationibus ordinatum in plerisque partibus esset mancum, neque omnibus casibus provisum esset, unde dari poterat nimium exorbitans casus, quod praefatis infantibus ei praemorientibus, videret ipse ejus bona cum virtutis sudoribus parta transitum facere ad eorumdem infantium venientes ab intestato sibi profus extraneos, ac forte non multum gratos (quod praesertim me edocuit quam fallax sit humana sapientia); Hinc proinde in ista, ut in omnibus aliis occurrentiis, meum satis benevolam ac sinceram adhibendo consilium, cogitatum fuit insimul de remedio, stante praclusa ejusdem donatoris facultate, nova onera, novasque substitutiones adjiciendi, cum quibus hic tristis eventus impediri posset, ex certa nimiumque vulgari regula deducta ex

2 **t**extu in l. perfecta Cod. de donat., qua sub mod., ut quemadmodum donator irrevocabilem donationem inter vivos jam perfectam revocare non potest, ita neque illi ex intervallo nova onera vel conditiones juris jam quaesita alterativas adjicere valeat, ut pluries in proximis praecedentibus, cum solum illi concedatur facultas declarandi partes dubias & ambiguas.

Cogitatum ergo fuit, aliud non subesse remedi-

um, nisi illud novam faciendi donationem in fideicommissionem de quibusdam aliis ipsius donatoris liberis alicujus notabilis quantitatis, substitutiones, ut nova substitutiones, & onera, etiam bona praecedenter donata completi deberent; Et cum donatoris fuissent in statu, quod hanc secundam dispositionem acceptare potuissent, vel etiam etiam tacite per actus facti, tunc res procedenda plano, cum concedatur honorati ad proportionem honoris gravare honoratum, etiam in bonis propriis, sive sibi jure proprio competentibus, quae honoratus talem dispositionem acceptantem novo gravamini subiacet ex deductis per l. prim. g. lib. 1. cap. 8. num. 35. Cassill. lib. 3. com. 10. num. 9 & 17., & numer. 40. cum sequen. Per Salern. conf. 48. num. 12. cum sequen. lib. 1. Quod donat. tract. 1. disc. 2. part. 10. ex nu. 85. cum sequen. Fontanell. de pact. claus. 4. gl. 5. cum sequen. cum sequen., cum aliis per Adde. ad Molin. de pra. Et conferunt quae super hujusmodi factis gravandi heredem vel honoratum etiam in bonis propriis habentur supra disc. 134. cum plerumque

Verum difficultas erat, quod ob instantiam aetatem dictorum donatariorum, eorumque imperium implicitis consensus practicabilis non erat, cum pupilli, multo magis infantes non haberent voluntatem; Ideoque cogitatum fuit, an iuste petitis tibus peti posset a iudice, ac tutore vel curatore hunc effectum deputato, hujusmodi consentientia completio vel praestatio, quae contingente causa operativa remaneret; Et quando donatoris fuisset nova onera & vincula adjicere seu potius quae afficerent ipsos infantes etiam adultos, sive etiam majores, ita ut eis impediret illam libere dispositionem, quae praesupponi debebat in illis casibus, in quibus timebatur jus venientium a intestato, ut ipse donator cupiebat etiam illud. Et tunc ego habebam difficultatem, dum aggrederer quamvis notabile, quod per secundam dispositionem fiebat, comparative ad bona contenta in praecedentibus donationibus erat quid modicum, neque onus non erat proportionatum commodo, de jure requiritur, ut honoratus gravari possit etiam in ejus bonis ac juribus propriis, quod si onus sit proportionatum emolumento, illud non excedat, ut advertitur supra dicto disc. 134.

Hinc proinde meum consilium fuit, cum magister meus libenter adhasset, ut faciendo hanc eandem donationem in reliquis omnibus conditionibus praecedentibus, illud solum adjiceret, onus utramque bonorum speciem comprehendens, tam impeditivum tamen facultatis disponendi, quam actus inter vivos, quam etiam per ultimam voluntatem, quatenus dicti pupilli facti majores vel ultimi talem disponendi facultatem assequerentur providendo, in solo casu quo essent interpellabiles enim iuste ac rationabiliter, tam iudex, quam tutor vel curator talem consensum praestare debent utpote in actu utili & proficiuo, ex deductis in l. per Peregr. art. 52. num. 50. vers. crederem, & in quaestione 590.; Et quando auctoritates desuper haberemus, id convincenter probaret ipsa ratio, & vè discussus naturalis, cum actus ita solummodo ac lucrativus remaneat, nullatenus vero damnum pupillo existenti in puro lucro obveniendi hoc instrumentum, absque damno vel impedimento libertatis disponendi, tam in vita quam in morte, quod damnum seu praedictum redundasset in partibus ab intestato, quod non reputatur in parte considerabile in ordine ad pupillum, cuius nullatenus

an eo in pupillari etate moriente, bona ad unum vel alterum pertineant, e converso autem interest, ita sine aliquo ipsius facti adulti novo onere vel gravamine, tale augmentum obtinere, ut à simili, imò fortiori *Gomes tom. 1. var. cap. 4. numer. 6. vers. Quid facit Barry de success. lib. 4. tit. 5. num. 4. Gaill. lib. 2. observat. 137. num. 13. cum sequen.*

Fortius verè ponderabam præmissa procedere, quod hæc dispositio non fiebat ab extraneo, & in bonis verè propriis pupillorum, sed fiebat à patruo magno, qui plusquam benevoli patris partes cum his pupillis gesserat atque in bonis ab ipsomet obveniens; Ut enim advertitur dicto disc. 87. sub tit. de feudis, multa donatori viventi conceduntur, quæ aliàs in jure negantur, atque si donatori quamvis extraneo datur facultas substituendi etiam pupillariter, quod est singulare privilegium patriæ potestatis ad text. in l. sed si plures §. in arrogato ff. de vulgar. & pupill. cum concord. per Menoch lib. 4. præsumpt. 48. num. 13. Barry de success. dicto lib. 4. tit. 4. num. 4. Igitur multo magis iste actus permitendus videbatur etiam tanquam per speciem illius suppletionis voluntatis disponentis defuncti, quæ ab ipsa lege conceditur juxta ea quæ habentur supra in *Tudertina disc. 115.* Atque ita prædicatum fuit, sed casus non evenit, dum distincti infantes effecti fuerunt majores, adhuc viventes, imò masculus filios procreavit & procreare sperat. Illa verò occasione, & quatenus onus de novo adijciendum haberet tractum successivum cogitabam, an primo gravato tali oneroso augmento consentiente, id afficeret successores jure proprio ac independenter venientes, quem casum percutiunt etiam *Molina & ceteri ubi supra*; Credebam autem materiam regulandam esse cum iis, quæ habentur in *disc. seq. & disc. 72. cum seq.* in proposito transactionis, quæ facta per gravatum afficiat necne successorem ex persona propria venientem, & de quo etiam sub tit. de feud. disc. 49.

aliis, quamvis ex diversis matrimoniis; Et incidenter, An allectio alicujus cognati in familiam propriam sit revocabilis; Et de transactione, An obliet venienti jure suo independenter.

## SUMMARIUM.

- 1 Facti series.
- 2 Resolutiones cause.
- 3 Quando transactio afficiat successores jure proprio venientes.
- 4 An solemnitates requisite in donationibus exigantur in illis contemplatione matrimonii.
- 5 Data etiam potestate transgendi, id recipiendum est, dummodo consultum remaneat successoribus.
- 6 Quod regulariter in donatione contemplatione matrimonii, filii non censeantur vocati, remissive.
- 7 Si quis reservaret adijcere fideicommissum in alia dispositione, qua non sequatur, an adhuc fideicommissum censeatur inducitur necne, distinguitur.
- 8 Non implicat ordinatum esse in bonis fideicommissum particulare, & tamen eadem posse subiacere alteri fideicommissum ordinato, & reservato.
- 9 Adoptio seu allectio in familiam est quandoque revocabilis.
- 10 Familia allecta, seu aggregata post dispositionem, seu ipso disponente ignato, vel invito, sub eadem dispositione non venit.

## DISC. CXL.

Franciscus Silla propria prole, ac agnatis, ut supponebatur, destitutus, atque cupiens juxta commune, ac naturale fortè itulium desiderium, proprium cognomen, seu familiam artificialiter renovandi & conservandi mediante persona Tholomæi filii Seraphinæ neptis ex fratre, occasione seu intuitu matrimonii, ipsomet Francisco tractante & desiderante per dictum Tholomæum contrahendi cum Helena Venusta, donationem fecit seu. m. ad limites dotis, quæ tantundem importabat, sibi reservata facultate adijciendi in illis bonis illud fideicommissum, quod in ejusdem Tholomæi filii ac descendentibus propriis donatoris familiæ conservatione & propagatione ordinare volebat in reliquo ejus asse; Cum autem dissoluto dicto matrimonio per mortem mulieris absque prole, præfatus Tholomæus, incio, vel sciente sed invito dicto Francisco, ad alias nuptias convolasset, hinc idem Franciscus nedum revocavit allectionem dicti Tholomæi in ejus cognomen & familiam, sed illum ingratum ac indignum declarando, revocavit, seu resolutam aut invalidam declaravit dictam donationem, ex quocumque capite illa invalida vel resoluta censeretur posset, deindeque moriens hæredem instituit Domum Probationis Societatis Jesu, contra quam præfatus Tholomæus pro dicta summa donata iudicium instituit; Et introducta causa in *Rota coram Pamphilio*, qui deinde fuit Pontifex *Innocentius X* cum ex parte dictæ Domus reconventæ oppositum fuisset de prædictæ donationis nullitate ex defectu solemnitatum in donationibus in Urbe adhibendarum ex Statutis 149. & 150. quodq; ubi etiam donatio fuisset valida, adhuc tamen esset resoluta tanquam ex cessante causa.

E c 4

atque

ROMANA  
DONATIONIS DE SILLA

PRO

DOMO PROBATIONIS  
SOCIETATIS JESU.

CVM

CAROLO SILLA.

Casus accisus per Rotam, ut infra.

An facta donatione contemplatione matrimonii cum facultate donatoris reservata adijciendi substitutiones vel fideicommissum, talis sola reservatio inducat necne fideicommissum etiam sine alio actu; Et quatenus induceret, An intelligatur solum de filiis, & descendentibus ex illo matrimonio, vel de omnibus